DE PERTUSSI.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

DIE X. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCXLVI.

PUBLICE DEFENDET

ADOLPHUS FORSTHEIM

RHENANUS

OPPONENTIBUS

S. SCHAEFER, MED. ET CHIRURG. DR.
C. NITZSCH, MED. ET CHIRURG. DR.
I. LETELLIER, MED. ET CHIRURG. CAND.

BONNAE,

LITTERIS F. P. LECHNERI.

MDCCCXLVI.

AMICO SUAVISSIMO

Dr. CAROLO VELTEN,

MEDICO PRACTICO LONDINENSI,

ATQUE

AFFINIBUS DILECTISSIMIS,

Dr. H. I. BURKART,

A CONSIL. METALL. SUP. ORD.

I. I. WERNER,

GYMNASII BONNENSIS PRAECEPTORI.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

SCRIPTOR.

PRAEFATIO.

De pertussi permulti doctissimique viri disseruerunt, ut, me tironem adhuc in arte medica novi quidquam allaturum esse, vix sperare liceat. Nihilominus omnino non potui, quin materiam illam arriperem, utpote quam accurate copioseque cognoscendi et inquirendi coelo favente optima mihi opportunitas data esset. Etenim epidemia huius morbi per anni dimidium nostra urbe grassante multa eademque singularia pertussis specimina observanda mihi se praebuerunt.

Accessit, quod, cum Dr. Carolus Velten, cui pro maximis in me meritis, quantas possum, gratias ago, amplissimas certissimasque observationes mecum communicaverit, descriptioni pertussis collationem quatuor et viginti casuum nostrae epidemiae adiungere possim.

CAPUT I.

De historia, nomine, natura, frequentia pertussis.

Iam ab antiquissimis inde temporibus pertussim, quo nomine intelligimus tussim, quae pluribus brevibus intervallis inter animum reddendum interrumpitur, atque inter animum ducendum sonum sibilantem singularem reddit, saeviisse verisimile est. Etenim, quamvis scripta Hippocratica huius morbi certam mentionem non faciant, tamen pater ille medicinae inter alias descripsit epidemias vehementium et diuturnarum tussium infantum peculiare tussium genus, quod ab eo [1]) *βήξ κερχναλέη, ῥεγχώδης καὶ πνιγώδης* nominatur. Refert porro in aphorismatibus [2]), eos, qui ante adolescentiam tussiendo gibberosi fiant, mori. Cum vero nostra aetate saepe observatum sit, infantes rachitide laborantes vi pertussis magis etiam gibberosos evadere, et antiquis temporibus sub »tussis« nomine omnes huius aegritudinis sepcies complexae sint, secundum ea, quae ex Hippocrate attuli, haud dubitandum est, tum temporis pertussim iam notam fuisse.

1) Epid. Lib. VI. Sect. VII.

2) Aphorim. Sect. VI. Aph. XLVI.

Mesue [1]), Arabus, de tussi quadem narrat, contra quam, remediis narcoticis frustra adhibitis, sinapisma in caput et caustica applicarentur.

Avicenna [2]) de epidemia refert tussis vehementis, in qua aegroti saepe sanguinem exspuerent et color faciei caeruleus efficeretur.

Contra haec quidem Mezerai et Franciscus Valeriola [3]) contendunt, pertussim primum regnante Carolo IV. in Gallia apparuisse; sed quisque rem accuratius investigans in scriptis illorum virorum nihil aliud inveniet, quam descriptionem saevientis tum temporis epidemiae. In libro vero Danzii de historia pertussis longam seriem invenies scriptorum, qui, quamquam novam huius morbi descriptionem afferentes, nequaquam recentem morbum pertussim vocent.

Cum permulta inveniantur nomina huius morbi apud scriptores et nationes maximam partem ab symptomatibus praevalentibus, aut organis, a quibus morbus originem ducat, petita, usitatissima solum latinae nostraeque linguae repetamus. Latina sunt haec: Tussis convulsiva, pertussis, tussis ferina, tussis clangosa, tussis clangorosa spasmodica, tussis stomachialis, tussis quinta vel quintana, amphihemerina tussiculosa, tussis infantum, tussis pueros strangulans, morbus cucularis, cephalalgia epidemica, catarrhus epidemicus, bronchitis epidemica et cet. Vernacula: *Keichhusten,*

---

1) Canones universales cum expositione Mundin. cap. de aegrit. pect. et pulm.

2) Liber canonis Basileae. 1556. Lib. III. Fen. X. Tract. III. pag. 488.

3) Encyclopédie ou dictionaire raisonné de sc. Tom. IX. p. 399.

Hühnerweh, Stickhusten, Schreihusten, Krampfhusten, blauer Husten, Eselshusten et cet.

Nos morbum nomine »pertussis,« primum ab Sydenhamio[1]) proposito, hoc opusculo vocabimus, nulla alia causa moti, quam ut cetera nomina omittamus, quae in hunc morbum minus quadrare videntur, utpote profecta ex symptomatibus non semper praesentibus nec veram morbi naturam indicantibus.

De natura huius morbi multae eaeque diversissimae sunt sententiae.

Marcus[2]), Whatt, Hastings, alii inflammationem bronchorum causam pertussis vocant. Secundum Autenrieth[3]) materia peccans aegritudinem incitat. Danz[4]) pertussim non singularis speciei tussim habet, sed saepissime nominat »tussim stomachialem« ex bili perverso, muco aliisque in ventriculo peccantibus eo vehementiae provectam.

Stoll originem pertussis ducit ex perversa sola ventriculi conditione, Butter[5]) ex intestinorum.

Strack[6]) glandulas palati et tracheae maxime affectas in pertussi opinatur. Kilian[7]) pertussim

---

1) opusc. l. c. p. 249.

2) *A. F. Marcus, der Keichhusten, über seine Erkenntniss, Kur und Behandlung, Bamberg u. Leipz. 1816.*

3) *Versuche für die praktische Heilkunde aus den klinischen Anstalten von Tübingen; Tübingen 1807.*

4) *Geschichte des Keichhustens. p. 45.*

5) *Abhandlung vom Keichhusten, übersetzt von Scherf, p. 23.*

6) Diss. de tussi convuls. in Frank oqusc. med. p. 224.

7) *Handbuch der schnell tödtenden Krankheiten p. 240; Bamberg u. Würzburg 1804.*

epilepsiam pulmonum, Iahn[1]) epilepsiam diaphragmatis vocat.

Rationes huius sententiae hae sunt: Sicuti epileptici singulari quodam et ingrato affectu impetum appropinquantem sentiunt, eodem modo infantes pertussi laborantes incerto mali venientis praesagio vexantur. Auram igitur cum epilepsia communem habet. Pertussis impetui repugnari non potest; progreditur et invadens omnia fere organa concutit, qua re ut in impetu epileptico saliva et spuma, sic nostro in morbo sputa mucosa eiiciuntur. Summo utriusque morbi fastigio pestus constringitur, facies tumefit, faeces et lotium invitis aegrotis solvuntur. Idem utriusque morbi finis; sensus suppressi, debilitas maxima, defatigatio, sopor per aliquod tempus remanent.

Zitterland[2]) similitudinem quaerens inter pertussim et hydrophobiam refert, in omnibus fere pertussi laborantibus vesiculas hydrophobiae sese invenisse, quae, in acme morbi rumpentes, fundum flavum praebuissent et cum morbo ipso evanuissent.

I. Webster[3]) sedem pertussis in cerebro invenit et morbum systematis respirationis symptomaticum dixit, quapropter ad pertussim saepissime alii quoque cerebri morbi, ut hydrencephalus accederent.

Brechet, Iahn[4]), Autenrieth in sectionibus

---

1) *Der Keichhusten p. 87.*

2) *Rust, Magazin für die gesammte Heilkunde, Tom. XXII. II. 1826.*

3) The London Medical and physical Journal, Vol. XLVIII. 1822, Dec.

4) l. c. p. 53.

nervum vagum rubrefactum invenerunt, ex quo originem morbi duxerunt.

Paldamus [1]) primus pertussim ex irritabilitate adaucta pulmonum oriri existimavit. Verba eius haec sunt: *die nächste Ursache des Stickhustens ist eine erhöhte Reizbarkeit der Lunge und der mit ihr verbundenen Organe, vorzüglich des Magens und der Zwergfellnerven.* Proximo tempore Roche et Sanson, Ph. Constant, Blache eandem sententiam proposuerunt, quae etiam plurimis huius aetatis medicis comprobata est.

Causas huius quidem sententiae afferunt primum febrem absentem, haud complicata pertussi cum alio morbo, tum facilitatem, qua impetus morbi animi motibus vel alia causa psychica moveantur; remedia insuper antiphlogistica in pertussi simplici tantum abesse, ut morbum sanarent, ut augerent; remedia contra antispasmodica et irritabilitatem imminuentia saepius profuisse; praeterea domicilio permutato saepe morbum sua sponte evanuisse; sectiones denique in infantibus, qui in morbi acie morte apoplectica defuncti essent, institutas, exceptis iis, quae in cadaveribus tali causa demortuorum observari solerent, nullam materiei permutationem demonstrasse.

Tanta inter medicos dissensio de natura huius morbi eo orta esse videtur, quod plerique pertussim simplicem non post observationem accuratam tractarunt, sed complicationes, in omnibus fere epidemiis varias, cum pertussi ipsa confuderant symptomataque morbo alteri propria in alterum transtulerant. Quo

---

1) *Der Keichhusten. p. 42.*

effectum est, ut hic ventriculum, pulmones ille, alius cerebrum, alius denique intestina ex observata epidemia sedem huius morbi afferret.

Quae quidem irritabilitas adaucta nervorum systematis respirationis efficitur miasmate quodam, primum in aëre orto, tum inter pertussim iterum genito. Una est causa pertussis, neque alia, ut ex vermibus, vel materiis in ventriculo vel intestinis nocentibus pertussis exoriri potest; longinquior tantum et deterior fit. Cuius vero indolis sit miasma, nescimus; singulari vero natura est, quod certa sub forma in pertussi apparet sicuti miasma scarlatinae, variolae, typhi et cet. . Miasma ita constitutum esse videtur, ut certa tantum aëris et caloris conditione existere possit. Poscit enim aërem aqua impletum, nebula, ventorum directionem ex regionibus meridiem versus et caurum.

Tempestate frigida et sicca miasma non deleri, calida vero et sicca extingui videtur. Cum aliis contagiosis morbis complicatum singulariter sese habet: Marburg[1]) pertussim evanescentem vidit variolis intrantibus, morbo autem superato iterum apparentem.

Rosen ab Rosenstein[2]) miasma ex insectis constitutum putat. Girtanner[3]), quod persaepe cum morbillorum et scarlatinae epidemiis coniunctum esset, miasma analogum cum his morbis, aut, quod pertussis

---

1) Hufeland, p. 484.

2) l. c. *Anweisung zur Kenntniss und Kur der Kinderkrankheiten, aus dem Schwedischen übersetzt und mit Anmerkungen erläutert von Muray, Göttingen u. Gotha 176 8.d2. 47.*

3) l. c. *Abhandlung über die Krankheiten der Kinder und über physische Erziehung derselben. Berlin 1794. p. 270.*

saepe typum tertianum haberet, aequalem cum miasmate febris intermittentis existimavit. V. Wedekind et Ch. F. Harless[1]) miasma simile acutorum exanthematum putarunt.

Contra eam sententiam Marcus l. c. p. 10. morbum, quamquam contagiosus esset, tamen proprium miasma non possidere et a macrocosmicis solum conditionibus pendere contendit.

Stoll[2]), Danz[3]), Nicolai[4]), alii pertussim non contagiosam esse affirmarunt, eo nixi, quod esset morbus ex aëre pendens, qui hominem eundem pluries per vitam aggrederetur. Quamquam iam aequales scriptores contra eam sententiam pugnarunt, ut Rosenstein, Hufeland, Iahn, alii, nostris tamen temporibus Naumann, Haeussler, Thomson, Schuermaier[5]) multis observationibus comprobarunt, morbum contagiosum esse et tempus ad prolatandum contagium maxime idoneum statuerunt stadium morbi convulsivum.

Meissner[6]) contagii vim cupiditate quadam haud voluntaria imitandi alios tussientibus sicuti inter oscitandum adaugeri dicit, ad quam rem comprobandam

---

1) *Neues praktisches System d. speciellen Nosologie. Coblenz 1824. 1. Hälfte. p. 107.*

2) *v. Mohrenheim. Wiener'sche Beiträge zur praktischen Arzneikunde. 2. B. 3. St.*

3) l. c. *Geschichte des Keichhustens.*

4) *Fortsetzung der Pathologie. 3 B. Halle 1784. p. 765.*

5) *Medicinische Annalen von Puchelt, Chelius und Naegele. Heidelberg 1835. B. 1. H. 1.*

6) l. c. *Kinderkrankheiten. B. II. p. 241.*

addit, infantem, ubi alterum impetu correptum animadverterit, ipsum tussire incipere vel dormientem, quamquam strepitu alterius non excitatum e somno, nescium eodem impetu corripi.

CAPUT II.

Causae remotae.

Inter has causas primo loco sine dubio nominanda est aetas puerilis. Ea enim aetate cum pulmones, ratione habita reliqui corporis, prorsus nondum roborati nec stimulis materiae in eos vim exercentis assueti sint, continuoque magis magisque evolvantur et ob eam causam vasorum nervorumque activitas eorum adaucta sanguinisque affluxus sit longior, eo facilius affectu miasmatis huius morbi afficiuntur. Praeterea omnino irritabilitas systematis nervorum in infantibus maior quam in adultis et in omnibus actionibus ad hoc systema pertinentibus vehementius commovetur; quapropter etiam permulti morbi provectiore aetate aegritudine symptomatica nervorum non coniuncti, hac, persaepe cum symptomatibus illis complicati inveniuntur.

Porro infantes in conclavibus retenti nec tempestati satis frigidae et iniucundae assueti, vel nimis densis vestimentis emolliti epidemia pertussis grassante primi arripiuntur morbo.

Scropholosi infantes, qui male concoctis et constitutis cibis nutriti, aut summa abundantia nutrimentorum adulti sunt, quorum sanguis et systema lymphaticum peccat, saepissime in refrigeriis pertussi imprimis expositi sunt.

Blache[1]) aetatem ante annum septimum aut ante dentionem secundam tempus ad pertussim maxime propensum dicit et inter centum et triginta aegrotos viginti quatuor tantum natu maiores invenit.

In epidemia nostra inter viginti quatuor erant sex aetatem dictam superantes et reliquorum, quoad genus, decem puellulae et octo pueri erant.

Alii in regionibus septentrionem, alii meridiem versus perniciosissimam esse pertussim vocant; sed utraque terra atrocissimas pertussis epidemias a medicis observatas esse constat. Tempestas humida, frigida, cum nebulis et ventis coniuncta, praesertim autumno et vere evolutioni miasmatis huius morbi maxime favet. Praeterea caloris et frigoris vicissitudo celeris diu manens, domicilia angusta, aëre impuro impleta, humida dispositionem ad pertussim magnam praebent.

Omnis causa catarrhum movens nasi aut bronchorum pertussim quoque creare potest, scilicet miasmate in aëre versante. Apparent etiam pertussis epidemiae iis temporibus, quibus catarrhi frequentiores esse solent, praesertim vere et autumno, frigidis et humidis diebus, calore et frigore celeriter variatis.

Epidemiae nostrae conditio tempestatis pertussis evolutioni favens antecedebat. Hiemi strenuae et

---

1) Dictionaire de Méd. ou Répertoire général des sciences méd. etc. par M. N. Adelon, Beclard etc. Tom. IX. Paris 1835.

frigidae ver humidum frigidumque successit; omnes fere dies aeque erant ingratae, neque humor calore solis terra removeri potuit. Paucos eos dies, quibus tempestas serena favebat, eo deteriores sequebantur, ita ut varietas tempestatis tam brevi tempore magis quam continuum coelum aërem ad talis generis miasma gignendum propensum redderet. Venti, ut plerumque ante epidemias istas observari solent, plurimum ex regionibus meridiem et caurum versus originem ducebant.

CAPUT III.

Morbi Symptomatologia.

Medicorum nostrae aetatis sententiam secuti pertussim morbum in tria stadia dividimus, in stadium catarrhale, convulsivum et decrementi.

A. Symptomata stadii catarrhalis.

Etsi permulti iidemque graves medici, ut Paldamus[1]) dicens: „*Eine, bisweilen gar drei Wochen dauert ein Schnupfen bald mit, bald ohne Fieberbewegungen, der sich eigentlich in Nichts von jedem gewöhnlichen Katarrhe unterscheidet,*“ stadium catarrhale cuique alio catarrho similem vel ae-

1) *Der Keichhusten p. 5.*

qualem putant, pertusisque initium ad incipientem tussim convulsivam diiudicant, attamen, si rem accurate perquiremus, inveniemus, iam in ipso stadio catarrhali pertinacem illum morbum iam praesentem cognosci posse. Etenim primis iam catarrhi diebus tussis siccior et altior quam plerumque esse solet, quamquam typum non tenens, tamen exacerbationibus intervallis liberis disiuntis periodicam speciem prae se fert.

Febris interdum levis adest catarrhalis, quae vespere exacerbatur. Infantes ipsi morosi, de rebus levissimis offenduntur et saepe lacrimas profundunt. Tussis nocte frequentissima iam a primo morbi initio anxietate quadam, catarrho simplici non propria, infantes aggreditur. Paucis casibus infantes morbo non acri afflicti videntur, hilares et iocosi ludis puerilibus sese dedunt. Epidemia in hac urbe grassante tussis alta, sicca, pertinax, anxietas infantum et defatigatio virium praestantissima signa erant ad cognoscendam pertussim in stadio catarrhali. Stadio catarhali varium temporis spatium consumitur, aliis in infantibus tussis catarrhalis tres tantum dies, in aliis tres ad quatuor hebdomades viget. Nostra epidemia inter viginti quatuor casus semel tantum tempus stadii catarrhalis tres hebdomades superavit. Hoc stadium morbi in

B. Stadium convulsivum

transit, si tussis, iam fine primi stadii merito convulsiva nominanda, spasmo tracheae et glottidis tonico sibilantem quendam rhonchum edit. Multi scriptores similitudinem huius soni cum aliis alio modo genitis sonis invenire enisi sunt, omnesque fere eo consentiunt, simillimum esse asinorum clamori. Inter ani-

mum reddendum spasmi clonici tracheam et glottidem corripientes tussim convulsivam efficiunt, ita ut tussis sonus, aëre intervallis brevissimis propulsa, interruptus videretur. Plerumque a medicis contenditur, pertussis impetum semper a sono illo sibilante incipere et aliis neglectis Iahnum[1]) afferam dicentem: *„Es entsteht eine kurze, schnelle und tiefe Inspiration, verbunden mit einem singenden, pfeifenden, oder schlürfenden Tone, und nach derselben eine absatzweise erfolgende, gellende, stossende, gleichsam gehackte (als ob, wenn ich so sagen darf, der Ton unter einer Breche klein gehackt werden sollte)* Expiration; attamen epidemia praeterlapsi anni observatum est, pertussim fere toties a clonicis, quam a tonicis spasmis tracheae et glottidis coepisse. Etenim in viginti quatuor collatis morbi casibus quindecim erant, in quibus rhoncho sibilante, novem in quibus tussi clonica impetus plerumque inciperet. Attamen in iisdem infantibus utrumque pertussis initium diversis temporibus observatum est.

Tussi fere semper praesagium quoddam praecedit simile ei, quod aegrotis epilepsia laborantibus proprium est, ita ut merito aura nominanda sit. Quemadmodum pertussis impetus appropinquant, sic vexantur infantes anxietate et titillatione in trachea et larynge, ita ut manus plangant, easque adminicula quaerant, quibus inter impetum sustinere sese possint. Infans contra tussim pugnans devincitur, facies tumidior fit, color faciei subcaeruleus, carotides pulsantur, oculi ex orbita

---

1) *Ueber den Keichhusten, ein Beitrag zur Monographie desselben von Dr. Friedrich Jahn. Rudolstadt. 1805.*

propulsi lacrimas fundunt, manus contrahuntur, pulsus arteriae radialis frequentior et minor, totum corpus praesertim caput sudore largo obtegitur, conscientia denique sui evanuisse in aegrotis videtur. Observatum est in viginti quatuor casibus nostrae epidemiae, calorem sanguinis inter impetum circiter gradu uno scalae **Reaumurii** adauctum fuisse. Impetus varium temporis spatium consumit plerumque initio stadii convulsivi longior et vehementior, quam si morbus per aliquod tempus viguit, nullusque collatorum casuum tricesimam horae partem superavit. Affectus consensuales permulti sunt. Albuginea oculi, sanguine impleta, rubra efficitur, facies stagnante sanguine speciem et rubro caeruleam prae se fert, et tumida infra oculos praesertim sugillationes praebet, lotium et faeces aegrotis invitis solvuntur, vomitus saepe impetum claudit et quidem longum et saevum.

Post impetum respiratio per temporis spatium evanuisse videtur, praeterea quod est musculorum respirationis tantopere vexatorum turbata functio, post aliquot minutas spiritus bene duci queat. Impetus typum certum non tenent, sed plerumque causa quadam occasionali provocantur; affectus animi, iracundiam, laetitiam, contentiones corporis, cibos irrritantes sumtos plerumque impetus sequuntur. Vis impetus perpendiculari corporis situ imminui videtur. Etenim vel dormientes infantes nescii quasi in lecto sese erigunt et corpore incurvato morbo repugnant. Temporis spatium stadii convulsivi varium inter varios infantes interdum manet a tribus ad duodecim hebdomades. Comitatur hoc stadium magna virium iactura, tam morbo ipso, quam vomitu ciborum nondum confecto-

rum adducta, macies corporis summa: facies tumida, eruptionibus saepe obtecta, pulsus arteriae radialis parvus, debilis, frequens, materia tussi eiecta albida, non crassa, lotium limpidum. Multum praeterea sudant, somnus impetibus saepissime interrumpitur. Postquam impetus paulatim rariores ac breviores facti sunt, morbus excipitur

C. Stadio decrementi.

Sonus sibilans inter animum ducendum sensim sensimque brevior redditus ante finem huius stadii plane evanescit; remanet vero spastica tussis in animo reddendo. Mucus crassior, ex viridi flavior quam priori stadio, appetitus ciborum adaugetur, vomitus aut plane deest, aut raro vexat infantes. Vires increscunt, in ludos pueriles eodem amore incumbunt, quo antea. In trachea saepe rhonchus mucosus auditur similis ei, qui in angina tracheali percipitur; brevi vero post eiectum mucum evanescit. Lotium coloratur et large fluit, sudores sunt crebriores. Saepe hoc stadio capitis et faciei eruptiones a veteribus crises morbi nominatae apparent. Stadium per duas vel quatuor hebdomades manet, et tussi paulatim prorsus extincta corpus ad priorem sanitatem redit.

CAPUT IV.

Diagnosis morbi.

Expositis morbi symptomatibus per varia stadia, enumeratis quoque causis praedisponentibus et occasionalibus iam transeundum est ad diagnosin. Quamquam vix accidere potest, ut artis medicae peritus, animadverso iam antea et curato quodam huius morbi specimine, alium casum non cognoscat, attamen medicus, cui nondum talis morbus obvenit, falsa diagnosi deceptus aegrotum perdere potest. Duo tantum sunt morbi, quibuscum pertussim confundere possumus, asthma Millari et angina laryngea.

§. 1.

Diagnosis pertussim inter et asthma Millari.

Pertussis.	Asthma Millari.
1) Stadia certa, quorum quodque propria signa distincta habet, percurrit.	1) Stadium unum convulsivum habet, nec catarrho incipit.
2) Tussis alte sonans, sicca stadio catarrhali, stadio convulsivo spastica, sono sibilanti coniuncta.	2) Tussis graviter sonans, rauca, saepe uno impetu per aliquot horarum spatium manens.
3) Impetus saepius fere per diem excitantur.	3) Impetus duodeviginti vel viginti quatuor horas distant.

4) Pertussis vel primae aetatis infantes aggreditur.	4) In anni unius infante semel tantum a Wigand[1]) casus huius morbi observatus est.
5) Plures impetus morbi accidere possunt, vitam infantis magnum in periculum non vocantes.	5) Plerumque quatuor vel sex impetibus necantur infantes.
6) Morbus epidemicus, contagiosus.	6) Morbus sporadicus, non contagiosus.

§. II.

Diagnosis pertussim inter et anginam laryngeam.

Pertussis.	Angina laryngea.
1) Tussis tonica soni sibilantis, asini clamori similis; tussis clonica, sicca, alta.	1) Tussis clamori canum catulorum similis, non convulsiva.
2) Pulsus normalis.	2) Pulsus frequentior, durus, plenus.
3) Lotium limpidum sine sedimento, largum.	3) Lotium rubrum, parum.
4) Calor corporis inter impetus tantum adauctus.	4) Calor semper adauctus.
5) Dispnoea inter impetus tantum et per aliquot temporis post eos manens.	5) Dispnoea continua.
6) Morbus intermittens.	6) Morbus continuus, remittens.

1) *Hamburgisches Magazin für die Geburtshülfe, herausgegeben von J. J. Gumbrecht u. J. W. Wigand Bd. II. St. V. p. 166.*

CAPUT V.

Morbi complicationes.

Morbus simplex neque semper est pertussis, neque ad normam stadia percurrit, immo saepissime coniunctus cum aliis morbis etiam perniciosior fit. Inter viginti quatuor collatos pertussis casus sex tantum regularem decursum tenuerunt.

Cum vero pertussis impetu maxime trachea et pulmones irritentur, et ipsa in perversa nervorum systematis irritabilitate causam habeat proximam, verisimile est, pulmones nervorumque centra quam maxime proclivia esse ad alterum morbum excitandum. Quod vero ratio iam edocuit, re ipsa quoque invenitur. Etenim pneumonia, bronchitis, angina laryngea et trachealis hydrencephalusque acutus morbi sunt principales, qui pertussi saepissime adiunguntur.

Inter duodeviginti morbi complicatos casus sex cum bronchitide, quatuor cum pneumonia, unus cum angina laryngea, unus cum hydrencephalo acuto, unus cum febri intermittente, duo cum epistaxi et sanguinis profusionibus ex ruptione vasorum, tres denique cum tuberculis pulmonum coniuncti erant.

Primam harum complicationum nostrae epidemiae frequentissimam considerantibus nobis occurrit, praesertim stadio convulsivo, bronchitidem ad pertussim accessisse; causa praedisponens pertussis ipsa, causa occasionalis saepissime refrigerium. Pertussis bronchitide augeri non videtur, immo impetus longitudo et saevitas imminuuntur; bronchitis contra crescit et

pertinacior simplici per longum tempus remediis antiphlogisticis repugnat. Notant autem bronchitidem cum pertussi coniunctam rhonchus sibilans aut sonorus' sonus clarus in percussione, febris inflammatoria tussis alta, sicca per intervalla impetuum pertussis, dolor denique pectoris praesertim in regione sternali. Sex casibus morbi cum bronchitide complicatis duo aegroti morte abrepti: puer duorum et dimidii annorum et puellula quindecim mensium.

Sectione instituta in puero bronchorum tunica mucosa rubefacta, bronchi ipsi muco sanguinolento, spumoso impleti inveniebantur; in nervo vago nihil ab norma aberrans animadversum, neque in cerebro quidquam. In puellula in latere dextro membrana mucosa bronchorum inflammata, in sinistro inflammata et quibusdam locis emollita reperiebatur. Manet haec complicatio plerumque per hebdomades duas vel quatuor.

Maius periculum infantum vitae minatur, si ad pertussim pneumonia accedit. Indicant vero morbum dispnoea magna, tussis in intervallis impetuum animo ducendo adaucta, febris vehementissima et saepe rhonchus crepitans. Sputa aeruginosa, a Constant[1]) non observata, neque nostra epidemia occurebant. Ut morbum, quem supra descripsimus, ita etiam pneumoniam acriorem et perniciorem reddit pertussis et intra paucos plerumque dies, frustra adhibitis remediis, aut ipsa inflammatione aut hepatisatione et suppuratione sequenti infantes moriuntur

Quare nihil est, quod mireris, cum refero, inter quatuor talis complicationis casus duos tantum mor-

---

1) Gazette médicale de Paris 1836 Nro. 35.

tem effugisse. E mortuis prima puellula duodecim mensium in summa inflammatione morte oppressa, sectione instituta, pulmonum inferiores lobos utriusque lateris sanguine rubro impletos, incisione crepitantes, bronchos spuma sanguinolenta refertos praebuit. Secundus, puerulus anni unius et dimidii, die tredecimo, quo pneumonia incepit, vita decessit. Sectione instituta latere dextro lobus inferior et medius pulmonis hepatisatione condensatus inveniebatur.

Complicatio pertussis cum angina laryngea et trachealis, etsi non ita frequens, quam cum pneumonia et bronchitide, tamen non minus perniciosa invenitur. Febris vehementissima inflammatoria accedit una cum raucitate vocis, dispnoea et sonus altus, gemens, eiulationi canum catulorum similis. In angina tracheali rhonchus mucosus in trachea auditur, qui interdum etiam in stadio decrementi pertussis percipitur et occasionem praebere possit confundendi morbi cum angina tracheali. Caveat igitur medicus, ne, anginam trachealem supicatus, curam antiphlogisticam pertussi simplici perniciosissimam instituat. Pertussis, ut in caeteris morbis systematis respirationis fieri solet, imminuitur, morboque superato denuo recurrit.

Semel pertussis cum angina laryngea coniuncta in collatis casibus inventa, et quidem in puerulo undecim menses nato. Iuflammatione primis temporibus cognita, hirudinibusque tribus, cataplasmatisque e spec. emoll. et infricationibus cum unguento hydrar. cin. ad collum adhibitis, ac simul interne mercurii dulcis grani quadrante bihorio sumendo praescripto, morbus inter quinque dies devictus est, pertussi scilicet ab hoc tempore per duos adhuc menses remanente.

Ad bronchitidem, pneumoniam et anginam laryngeam et trachealem se adiungit vasorum ruptio nasi, meatus auditorii externi, coniunctivae oculi, tracheae et bronchorum, ita ut ex omnibus his partibus sanguis inter tussiendum effluat; quam ob rem ea conditio facile cum pneumonia aut morbo sanguinis confundi potest. Febris vero, dispnoea caeteraque symptomata deficientia diagnosin confirmant. Idem vero, quod ex pneumonia, aegrotis minatur periculum, si sanguis ruptione vasorum in bronchis accumulatus hos obstruit. In duobus harum sanguinis profusionum casibus sanguis una cum sputis e bronchis eiiciebatur, et in altero quidem inter impetus etiam e naribus, oculis et aure dextro effluxit. Nunquam in his casibus accidit, ut bronchi obstruerentur sanguine extravasato.

Consideremus deinde gravissimam complicationem, quae, ubi ad pertussim accessit, parvam tantum spem valetudinis in integrum restituendae medico praebet. Dico hydrencephalum acutum. Qui quidem morbus; tam pertussi ipsa dispositionem praebente, quam causis externis adduci potest. Remedia contra pertussim adhibita, narcotica, cerebrum irritantia, praecipuae sunt res, quae morbum hunc perniciosissimum producunt. Horum remediorum princeps belladonna est accusanda, deinde opium, tum hyoscyamus etc. Morbus plerumque ad stadium convulsivum accedens stadia sibi propria non tam perspicua ac simplicia observanti praebet. Stadium prodromorum difficile est cognitu ob nimiam difficultatem discernendi symptomata et pertussi et hydrencephalo acuto propria. Etenim quod infantes homines antea dilectos et res negligant, hilaritas infantilis, alacritas solita ludorum-

que desiderium deminuantur, quod solitudinem ament tanquam alte meditantes, signum est cum pertussis infantem vexantis, tum hydrencephali imminentis. Talis conditionis infantes, quod plurimum in diagnosin valet, si fari possunt, queruntur de vertigine, graviditate capitis et subito dolore, cum celeriter moveantur, aut e lectis subleventur; aetate minores hoc significant agitatione capitis quadam et repentino clamoris silentio. Pulsus variabilis, modo frequens et irregularis, modo normalis est. Ciborum et potus appetitus imminutus, alvi maior segnities et urinae secretio minor. Cutis percipitur sicca. Oritur vomitus extra impetus pertussis; impetus ipsi vi increscunt. Secundum morbi stadium, inflammationis, iam melius cognosci posse inter medicos constat. Lucis enim et cuiusvis rumoris impatientia, calor, dolor capitis difficulter erigendi, pertussi adauctus, clamores auctos saepe excitans, nunc augentur[1]). Vomitus ter quaterve quotidie redit. Aër exspiratus plerumque spargit odorem foetidum, peculiarem; ipsa respiratio insoliti aliquid affert ut, ex sequentibus patebit: „La respiration est interrompue par un cri ou soupir plaintif, que j'appellerai hydrencephalique, parcequ'il ne se trouve dans aucune autre maladie et qu' il aide puissement encore le diagnostique[2]).“ — In hoc stadio dies quatuor usque ad septimanas duas manente pertussis non augetur, immo de vi perdit, quod, ut iam supra monuimus, pertussis cum alio

---

1) P. Frank II. pag. 185.

2) Coindet: Memoires sur l'hydrencephale. Paris et Genéve 1817. I. cap. pag. 34 sq.

morbo complicata non crescit, morbusve alienus multo maiori impetu, quam simplex aegrotum aggreditur.

Morbus in tertium stadium, exsudationis, transductus pulsum praebet tardiorem quam priori stadio, simulque arteriarum pulsatio, quo lentior, eo quoque minus ordinata observatur. Status soporosus, in quo est dentium stridor in lethargiam transit; iamque nonnunquam prodeunt phaenomena medico aeque ac parentibus fallacia: nonnunquam enim mentem aegroti recuperant, nutrimenta atque potulenta sine insequenti vomitu assumunt, ludos dilectissimos desiderant. Vel hoc stadio pertussis repulsa raris nec longis impetibus infantes vexat, ita ut fine huius stadii aegrotorum conditio aliquanto melior reddita videatur.

Tertio vero morbi stadio, paralytico — convulsivo. impetus maiori quam unquam antea vi una cum convulsionibus universalibus redeunt, quas sequitur hemiplegia plerumque lateris dextri. Debilitas summa et convulsiones repetitae mortem nuntiant, quae tandem die huius stadii tertio aut quarto, raro tardius, aegrotum e vita tollit.

In casuum collatorum uno, quo ad pertussim hydrencephalus accessit, complicatio in tertio demum stadio est cognita. Diagnosis huius morbi speciminis difficillima reddita erat, cum aetate aegroti, parum tantum provecta, infantis scilicet quindecim mensium, tum quod vitiis digestionis praecedentibus morbus primum febris gastrica habebatur. Morbus celerrime ex stadio exsudativo in paralyticum transiens sub convulsionibus mortem adduxit. Sectione instituta in ventriculis lateralibus cerebri serum parum turbidum,

flocculis intermixtum, copia unc. IV inventum; pars substantiae medullaris circumiacentis solito mollior, in pulmonibus et nervo vago nihil ab norma aberrans observatum. Bronchi muco crasso obstructi erant.

Adiunge aliam complicationem pertussis, quae cum morbo illo coniuncta minimam etiam spem conservandae aegrotorum vitae prorsus tollit. Tuberculosis, complicata cum pertussi, quum celerrime increscens stadia sibi propria percurrat, incertus esse posset observans, an morbus pertussi nondum exorta in infantibus sedem cepisset. Quae res etsi difficillima videtur diiudicatu, tamen anamnesi, observatione, auscultatione et percussione accuratissima saepeque repetita pectoris aegroti perspicua et clara evadat necesse est, praesertim, si symptomata illa celeriter increscunt. In tribus ex quatuor et viginti casibus tubercula pulmonum pertussi adiungebantur, et tali quidem huius morbi conditione, qua pertussis iam antea bronchitide aut pneumonia coniuncta fuerat. Cum vero in his casibus aegroti ob nimiam inflammationem magnis iisque repetitis sanguinis depletionibus omnique apparatu antiphlogistico curati essent, in aliis vero, non tam fortiter superata inflammatione sanitas omnino redierit, neque ineptum, neque iniustum videtur quaerere, an non ex sanguine, depletionibus depravato, tubercula exorta fuerint. Contra hanc sententiam alius tuberculorum originem ex bronchitide aut pneumonia non prorsus resoluta ducere posset, ut persaepe ea ex his morbis etiam sine pertussi nata videmus. Etenim, uti iam saepius monui, pertussi cum alio morbo complicata, huius decursus quam maxime turbatus pulmones functione impedit, ne san-

guinem bonum, tuberculosi non propensum gignant. Pertussim simplicem cum tuberculis pulmonum coniunctam esse nunquam nostris casibus observatum est.

Indicant vero morbum cum pertussi complicatum primum bronchitis aut pneumonia post longum temporis spatium non prorsus repulsa, dispnoea remanens, quae, quamquam non magna, tamen tempus respirationum normalium in animo mittendo et reddendo plerumque sex ad quindecim animae ductus superat. Sonus fuscus saepe iam primo tuberculorum stadio praesertim in regionibus subclavicularibus percussione auditur. Signum optimum, raro absens respiratio bronchialis coniuncta cum roncho peculiari, ei simillimum, quo bullae magnae rumpunt, semper fere adest. Infantes specie sanati sunt, appetitus ciborum, ludorum infantilium cupido redit, tussis vero sicca praecipue mane et pulsus frequens symptomataque obiectiva supra allata in pectore remanent, pertussi modo aucta, modo imminuta. Morbus ex stadio cruditatis in stadium mollitiei transvectus febri hectica vitam p erumque ad finem ducit. Inter tres casus primus observatus est in puellula secundum annum agente; pertussi simulque bronchitide laboraverat duplici, hirudines quatuor pectori bis impositae, mercuriique dulcis quadrans grani bihorio sumendus per novem dies praescriptus erat. Postea emplastrum vesicatorium et sulph. aurat. grani quadrans adhibita. Die quindecimo, ex quo bronchitis incepit, rhonchus sibilans et sonorus, febris et dispnoea evanuit, pertussi scilicet una cum tussi in intervallis simplici remanente. Pulsus sensim sensimque frequentior factus, dispnoea

interdum adaucta, in pectoris praesertim regione subclaviculari sinistra respiratio bronchialis una cum rhoncho, qui medium tenebat, inter rhonchum mucosum et crepitantem audiebatur. Vicesimo tertio post bronchitidem superatam die primum sonus fuscus in regione subclaviculari sinistra percipiebatur, neque ita multo post in regione quoque subclaviculari dextra idem symptoma occurrebat. Morbus celerrime increvit, et febri hectica indies aucta, respiratio bronchialis et sonus fuscus magis magisque perspicua evaserunt et duobus mensibus post morbi initium infans obiit. Sectione instituta in regione subclaviculari dextra et sinistra tubercula cruda, in posteriore caverna magnitudine nucis iuglandis cum bronchis communicans inventa. Bronchi lateris sinistri muco ac pure obstructi erant.

Alter infans pertussi laborans, sedecim menses natus, pneumonia hirudinibus septem remediisque antiphlogisticis superata, eodem modo, quo primus dispnoea et pulsu frequenti vexatus, mox caetera tuberculorum in pectore febrisque hecticae symptomata praebuit. Febris, intermittenti similis, non omnibus diebus aderat, ita ut, si symptomata obiectiva non occurrissent, spem sanandi retinere medico licuisset. Ultimo autem tempore pertussi nequaquam mitigata, febris vehementissima ita vires debilitabat, ut forti pertussis impetu aegrotus animam efflaret. Sectione instituta cavernae tres magnitudine nucis avellanae in lobo superiore et medio sinistri pulmonis, tubercula cruda in utroque pectoris latere inventa sunt.

Tertium huius complicationis specimen dedit puellula, menses duodecim nata, dispositione tubercu-

losa hereditaria. Morbus ex bronchitide initium capiens per quatuor menses mansit et pertussi usque ad finem vitae vigente in superiore dextri pulmonis lobo sectione cavernas obtulit.

Febris cum viribus axagitatis aut suppressis, quamquam frequentissima in pertussi esse dicitur[1]), tamen re vera raro annexa est pertussi simplici stadio convulsivo, saepius catarrhali. Quae sententia eo orta esse inter medicos videtur, quod morbis tot pertussi complicatis febris sola symptomatica ex inflammatione aut alia causa orta, haud cognita causa proxima, idiopathica habita est.

Febris intermittens in viginti quatuor pertussis casibus semel apparuit, quotidiana, in puellula annum tertium agente. Diagnosis cauta observatione febris et totius corporis, investigatione, an febris causa adsit interna, confirmata est. Intra quidecim dies febris, quae quotidie decima hora promeridiana redibat, evanuit sine remediis, tussi quidem eadem vehementia per longum adhuc tempus saeviente.

Morbi, qui ex impetuum pertussis vehementia originem ducunt, numerosi diversissimique sunt. Exceptis illis iam supra allatis effusionibus sanguinis ex bronchis, nasis, oculis, auribus frequentissimis, extravasata in cerebro et medulla spinali cum aegritudinibus ex iis pendentibus, surditatem unius aut utriusque auris ruptione membranae tympani aut effusione sanguinis in canalibus semicircularibus, amaurosin aneurismata cordis vasorumque magnorum, prolapsus

---

1) Schoenlein tom IV pag. 12. Paldamus. Der Stickhusten, pag. 28.

et hernias omnis generis, incontinentiam urinae, incurvationes columnae vertebralis referam.

Complicationibus praecipuis atque in nostra epidemia frequentissimis descriptis transeamus ad

CAPUT VI.

Prognosis pertussis.

Morbus cum turbatam irritabilitatem nervorum systematis respirationis causam habeat proximam neque in permutatione morbosa sanguinis aut telarum consistat, quod attinet ad spem sanitatis recuperandae, in eorum numerum referendus esse videtur, qui levissimis remediis aut solo naturae auxilio sanari queant. Attamen cum sedem teneat in organo functione sua semper novis irritationibus exposito, simulque prae caeteris aetatibus prima iuventutis tempora, nondum roboratis viribus, nec bene evolutis et conformatis pulmonibus, incedat, haud dubitandum est, quin maxime corpora infantilia morbo illo afficiantur. Quo minor igitur aegrotus est, eo vehementius pertussi vexatur. Ut vero omnes morbi, praesertim epidemici, omnibus locis non eiusdem indolis sunt, iidemque morbi iisdemque locis variis temporibus modo vehementiores, modo mitiores evadunt, sic etiam pertussis vehementia diversis epidemiis et temporibus varia observatur.

Initio epidemiae aegroti magis laborant, quam sub fine, morbo paullatim mitigato. Morbum autumno et vere multo fortiorem invenies, tam quod id tempus ad conservandum miasma maxime idonea, quam quod irritabilitas pulmonum adaucta aëre frigido inter animum ducendum inducto crescit. Praeterea hoc anni tempus, perfrictionibus opportunum, ex refrigeriis complicationes perniciosissimas secum ducit.

Rem ita sese habere edocuit epidemia nostra, quae mense Martio, tempestate frigida et humida incipiens, usque ad Iunium mensem vi increvit, quo tempore, cum aestas calorem coelumque serenum attulisset, de fastigio vehementiae descendens, multo mitiora eaque breviora morbi specimina observanda dedit.

Quod ad singulos morbi casus attinet, optimi habendi sunt ii, qui in infantibus bonae antea valetudinis neque scrophulosis annum tertium ad decimum agentibus occurrunt. In adultis pertussis interdum etiam perniciosior, quam in infantibus est, quod ex vehementissimis illis impetibus non tam facile vires recipere possunt. Pertussis impetuum haud fortium nec sono illo sibilante non longo comitata, appetitu ciborum in impetuum intervallis non imminuto, hilaritateque infantum parum deperdita, et conditionibus vitae faustis magnam boni exitus spem tenere permittit.

Complicationes vero cum externae tum internae pertussim, ut supra iam contendimus, atrociorem reddunt. Pertussis enim complicata cum morbis systematis respirationis inflammatoriis ad fastigium ductis resolutionem eorum prohibet et stimuli instar chronicos reddit, ita ut facillime exitus infaustissimi exoriantur. Pneumonia multis casibus aut inflammatione, aut he-

patisatione, aut suppuratione pulmonum mortem adducit. Bronchitis ex pertussi chronica saepe causa est praedisponens tuberculorum pulmonis. Laryngitis tantopere adaugetur pertussi, ut facillime exsudatione membranae falsae infantem morte suffocatoria necet. Complicationes cum hydrencephalo semper fere exitum mortiferum secum ducunt. Etenim cum ipse hydrocephalus vel primis stadiis artis medicae auxilio rarissime sit superandus, verisimile est, pertussi, etiam morbo gravi, ad cum accessita diagnosique complicationis huius primis stadiis difficillima reddita, medicum de restituenda sanitate prorsus desperare debere.

Effusiones sanguinis externae cum largae sunt, vires debilitant; in cerebro vero et medulla spinali apoplexiam, paralysin, choream sancti Vithi multasque eiusdem generis aegritudines adducunt. Sanguis in bronchis extravasatus horum obstructione mortem suffocatoriam promovet.

Persaepe pertussis infantes scrophulosos aggreditur. Inter duodeviginti casus duodecim erant infantes hoc morbo laborantes. Causam frequentissimae complicationis si quaeris, magnam cum omnium, tum praecipue systematis respirationis tunicarum mucosarum dispositionem morbosam invenies. Quae quidem dispositio causa est, cur miasma facillime accedat et pertussis ipsa depravetur. Cuius generis infantes prae ceteris sanguinis depletionibus, saepissime complicationum causa institutis, maxime debilitantur. Nec mala nutritionis apparatus conditione, quae amiserunt, recuperare possunt. Deinde quum tales infantes

plerumque helminthiasi vexentur, haud inepte Iahn[1]) de epidemia observata referens scripsit: *„Es war, vom semiotischen Standpunkte aus betrachtet immer schlimm, wenn mehre oder anhaltend Würmer durch Mund und After abgingen.“*

Morbilli cum pertussi coniuncti semper fere mortem secum ducere dicuntur[2]). Dentio inter pertussim oxoriens dispositionem ad bronchitidem et pneumoniam dat. Febris ad pertussim accedens indicat hydrencephalum aut inflammationem appropinquantem; febris cum dispnoea pneumoniae suspicionem movere potest.

Pertussis simplex, uti permulti morbi ex perversa tantum irritabilitate originem ducentes, plerumque, ubi aliquamdiu perstitit, sua sponte evanescit. Nec vero omnibus casibus aeque faustus est exitus, sed interdum celerrimo modo, ut ita dicam, fulminante infantum vitam finit.

Etenim morbi acie cum spasmis musculorum laryngis tracheae et diaphragmatis convulsiones caeterorum respiratoriorum musculorum coniunctae, aut obstructione rimae glottidis, aut impedita functione pulmonum aegrotos morte suffocatoria opprimunt. Nullus vero casus inter viginti quatuor observatus est, quo infans tali modo diem obiit supremum.

Pertussim cum eruptionibus cutis aut capitis uti porrigine, excema, impetigine et aliis coniunctam Hufeland[3]) multo minorem evadere dicit idque malum derivatorium vehementiae pertussis vocat. Contra-

1) l. c. pag. 87.
2) Girtanner, p. 277.
3) *Bemerkungen über die Blattern und andere Kinderkrankheiten. Berlin 1798.*

eum Henke et Wendt non omnibus casibus pertussis mitigationem sub eruptionum conditione sese observasse contendunt. Neque in nostra epidemia infantes eruptione capitis laborantes lenius quam alii vexabantur. Pertussis subito limitata vel recedens haud fausti ominis est; nam persaepe tunc aliis morbis plerumque gravioribus cedit, qui cum ea complicati vitae maius etiam periculum minantur.

CAPUT VII.

De cura pertussis.

Prima indicatio, epidemia pertussis grassante, haud dubie eo continetur, ut arceantur ab infantibus nocentes causae pertussim moventes. Ante omnia igitur videndum est, ne contactu miasmatis aut in aëre aut circa aegrotos versantis afficiantur. Arcendi igitur infantes ab aliis eodem malo laborantibus et quidem, si fieri potest, ex domo communi. Servi, consanguinei et curantes iisdem vestimentis induti ad sanos ne accedant, nec vestimenta nec lecti aegrotorum his praebeantur. Morbum his causis exoriri posse cum multae aliae, tum nostra epidemia docuit, qua infantes, cum aegrotis non communicantes, tum demum morbo affectos esse constabat, cum consan-

guinei in domo, qua morbus saeviret, per aliquot tempus versati contagium in eos contulissent.

Cum vero causa remota pertussis quaeque sit, quae refrigerium afferat, epidemia grassante vitentur omnia, quae celerem caloris et frigoris vicissitudinem movere possint. Vestimenta sint densa, nec vero talia, quibus infantes emolliantur, et levissima tempestatis vice perfrictione afficiantur. Infantes solum tempore meridiano sub Iove ambulent et quidem ita, ut continuo ingrediantur, nec frigido humo vel lapidibus incumbant. Humor semper a pedibus removeatur, et sudore largo cum sint obtecta infantum corpora, recentibus vestimentis induantur. Absit porro ululatus et clamor, ac quodcunque tum remediorum tum ciborum, quo larynx aut trachea irritetur et vox rauca reddatur.

Morbus ubi iam sedem cepit in infante, primis temporibus levis apparens, fortasse stadio catarrhali devinci potest; plerumque autem, frustra remediis contra catarrhum adhibitis, pertinax stadia percurrit. Observationes quidem in nostra epidemia docuerunt, catarrhum, stadio catarrhali pertussis similem, in infantibus quibusdam, etsi aegroti cum aliis pertussi laborantibus communicarent, cura apta evanuisse, nec caetera morbi stadia esse secuta. Ob difficultatem vero diagnoseos catarrhum inter et stadium catarrhale pertussis non certe affirmari potest, uter morbus sit sanatus.

Indicatio vero stadii catarrhalis nulla alia est, quam in quolibet catarrho stadii cruditatis; irritabilitas adaucta tracheae et bronchorum est imminuenda. Ad quam quidem rem perficiendam omnium remedio-

rum primum locum tenent emetica, cum ab antiquis medicis commendata, tum nostris temporibus optimo eventu comprobata.

Etenim cum contra catarrhum agunt irritabilitatem permutantia, tum contagium, quod larynge et trachea certissime excipitur, emittunt. Praeterea regimen diaphoreticum ad eliciendum sudorem indicatum est. Saepissime etiam magno usui sunt leniora cathartica, praesertim ab Sydenhamio laudata.

In altero stadio, convulsivo, multa eademque diversissima remedia, ex variis de natura huius morbi sententiis et ex varietate epidemiae a quovis medico observatae profecta, proposita sunt. Omissis vero aliis curae methodis, ut antiphlogistica, prioribus temporibus maxime commendata, eam solam exponemus, quae naturae morbi aptissima nobis videtur. Cum enim plurimi medici in eo consentiant, summae utilitatis antispasmodica et irritabilitatem adauctam imminuentia esse, usitatissima tantum et efficacissima huius generis remedia afferemus.

Primum locum sine dubio tenet belladonna, quae, quamquam specificum remedium in pertussi esse videtur, tamen summa quidem providentia in hoc stadio adhiberi potest. Nam cum narcotica effectu suo quum omnia nervorum systema, tum maxime cerebrum afficiant, abusione eorum dispositio ad morbos cerebri, hac aetate frequentissimos, facile creatur.

Quo igitur remedio, quamquam plerumque morbum superante, abstineat medicus, praesertim in aegrotis natu minoribus; in infantibus amplius duodecim annorum et in adultis optimo successu idem adhibebit.

Eandem fere vim in pertussim exercet opium,

praesertim ab Iahn[1]), Paldamus[2]), et a Müller[3]) commendatum. Attamen cum remedium in infantibus, vel minima dosi datum, periculosius sit, ut morbos cerebri creans, medicus cauta manu aegrotis id porrigat. Quod quidem periculum ut effugerent, Little et Pearson[4]) opium cum vino stibiato coniunctum praescripserunt. In epidemia nostra neque hoc, neque illud iam supra monitum remedium adhibitum est.

Ipecacuanha saepius bono eventu in infantibus cum aliis, tum nostra epidemia, refracta quidem dosi, antispasmodicum optimum comprobata est. Simul coniuncta cum sulph. aurat. iis casibus praesertim indicata esse videtur, quibus bronchi muco crasso nec facile eiiciendo obstructi sunt. Contra vomitum, impetus pertussis saepe claudentem atque infantes nutrimentorum iactura maxime debilitantem, epidemia nostra optimo successu in infuso confirmata est. In collatis casibus decies cum et sine sulp. aurat. adhibita, tricies sine dubio vim pertussis imminuit. Qui quidem casus tales erant, qui decursu morbi non complicarentur; septem aegrotis, in quibus nullius successus erat remedium, nullum aliud quoque auxilium ferre potuit; sed pertussis stadia sua decurrens in tribus casibus sanitate finita est, in quatuor aut pneumonia aut bronchitide coniungebatur.

Sulphur. et hepat. sulphur. ab Wesener[5]),

---

1) l. c. pag. 117.

2) l. c. pag. 52.

3) *Hufeland's Journal der pract. Heilkunde. 1810, Sept.*

4) The Edinb. med. and surg Journal 1806. Vol. II. Iuli.

5) *Hufeland's Journal der pract. Heilkunde, 1813. März. pag. 86.*

Hinze[1]), Senff[2]) specificum contra pertussim laudata, ab aliis tanta laude indigna inventa sunt. Flores Zinci ab aliis commendati, ab aliis reiecti, ab Hufeland. helminthiasi cum pertussi complicata, propositi sunt. In collatis casibus et talibus quidem, quibus pertussis coniuncta esset cum convulsionibus clonicis artuum, bis bono successu praescripti sunt. In altero quidem casu ad gr. I pro dosi per duos dies, in altero eadem dosi per quinque dies remedio adhibito convulsiones evanuerunt, pertussisque continuo usu eorum mox mitigata est.

Cicuta, praesertim ab Butter[3]) proposita, qui omnibus morbi conditionibus remedium saluberrimum eam invenit, re vera secundum multas aliorum obserservationes nullam fere morbi mitigationem attulit. Armstrong[4]) inter quingentos septem infantes cicuta curatos quatuordecim tantum perdidit; sed remedio per aliquot tempus deposito morbum revenientem observavit. Nostra epidemia vel hoc remedium in collatis casibus non est adhibitum.

Assae foetidae, quamquam maxime a Millar et Girtanner[5]) commendatae, atque ob odorem et soporem malum difficillime infantibus porrigendae, alia remedia bene suffici possunt.

---

1) *Hufeland's Journ. der prakt. Heilkunde. 1815. Sept. p. 70.*

2) *C. F. Senf, über die Wirkungen der Schwefelleber in der häutigen Bräune und andern Krankheiten. Halle 1816.*

3) l. c. pag. 49.

4) Paldamus, p. 81.

5) l. c. pag. 501.

Ex cantharidibus Hufeland[1]) eventum bonum observavit.

Moschus novissimis temporibus contra pertussim cum successu adhibitus et praesertim iis morbi speciminibus, quibus syncope impetus sequebatur.

Acidum muriaticum nostra epidemia in collatis casibus quinquies adhibitum, et duobus quidem, pertussi cum effusionibus sanguinis coniuncta, optimi successus fuit.

Acidum arsenicosum, remedia ex ammonio constituta, ledum palustre, pulsatillam nigricantem, lactucarium, hyosciamum, acidum hydrocianicum, chinam, lichen islandicum, plurimaque remedia, varia ab variis commendata, praetermittenda puto, tum quod maximam partem cum aliis supra nominatis congruunt, tum quod nullo collatorum casu adhibita sunt.

Ad haec remedia interna accedunt clysmata, quae partim ad solvendam alvum, partim ad vim antispasmodicorum per intestina augendam ab multis laudantur.

Tum inhalationes vaporum nostris temporibus commendatae sunt, et quidem ita, ut alius irritabilitatem imminuente, alius excitante materia uteretur. Etenim vapores oxygenii, nitri, chlori, aquae laurocerasi, foliorum herbae nicotianae, belladonnae etc. proposuerunt medici.

Inter unguenta, emplastra, lotia, infricationes cum materiis volatilibus prae caeteris nominanda est methodus Autenriethii, quo unguentum tart. stib. in pectus infricatum pustulas provocat, quae morbum ex pulmone derivent.

1) l. c. *15. Band. 3t. St. pag. 160.*

Alii ad derivationem unguentem e praecip. alb. aut emplastra vesicatoria adhibent.

Ab Anglicanis infricationes cum materiis volatilibus laudantur. Emplastra quoque narcotica ex belladonna, opio, hyosc., cicut. etc. pectori ab aliis imposita sunt. Lotia tepida, utpote irritabilitatem adauctam imminuentia, commendata.

Remediorum contra pertussim laudatorum ne quarta quidem parte nominata vides, iam ab antiquissimis inde temporibus medicos auxilium contra pertinacem hunc morbum in apparatu medicamentorum quaesiisse. Quod vero alius aliud remedium saluberrimum invenit, demonstrat nullum fere esse, quo medicus merito confidere possit. Non ineptum igitur videtur monere, in pertussi simplici stadii convulsivi tantum abesse, ut plurimis remediis frustra tentatis interdum morbum augeas, ut intactum, aut permutato domicilio affectu miasmatis in eam vim exercentis detrahes, aut paulatim naturae viribus superari sinas.

Attamen medicus, quamvis nullis utatur remediis tali in morbi specimine, vitae rationem infantum ita dirigat, ne causa nocenti ex frigore aut cibis affligantur simulque observatione accuratissima infantem tueatur, ne, coniuncto cum pertussi altero morbo, summae vitae periculum exoriatur.

Morbus inflammatorius pertussi complicatus, cum eo fortius repulsandus videatur, quod pertussis ipsa deteriorem et pertinaciorem hunc reddit; tamen ex observationibus epidemiae nostrae in talibus casibus, magnis sanguinis depletionibus curatis, cum pertussim adauctam, tum tubercula pulmonum exorta esse constat. Quapropter rationi maxime consentaneum videtur, in huius-

modi complicatione, sicuti in alia, qua morbus inflammatorius cum morbo originem ducente ex perversa irritabilitate exempli gratia, pneumonia cum delirio tremente, coniunctus est, una cum apparatu antiphlogistico, remedia antispasmodica efficacissima adhibere. Effectus antispasmodicorum sufficit, si pertussis vim tamdiu arcent, dum inflammatio, stimulo pertussis periculosissima, superata sit.

In stadio tertio, decrementi, victu idoneo opus est. Ad corrigendam debilitatem conducere videntur lichen islandicus, China et cetera roburantia. Summa vero providentia in usu talium remediorum opus est, ne inflammationem incitent. Nostra epidemia in hoc stadio, scilicet in infantibus scrophulosi laborantibus, oleum iecur. asell. saluberrimum comprobatum est.

VITA.

Natus sum Düsseldorpii die VI. mens. Decembr. a. 1823. Nicolao Forstheim et Sybilla e gente Falkenstein parentibus. Patrem decimo abhinc anno morte abreptum lugeo. Fidem confiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus per octo annos Gymnasium, quod Bonnae floret, frequentavi. Dimissus inde cum testimonio maturitatis die XXV. mens. Octobr. 1841 a cl. Bischof rectore t. t. Magnifico inter cives almae Fridericiae Guilelmiae Rhenanae receptus nomen dedi apud cl. Harless, gratiosi medicorum ordinis t. t. decanum. Primo anno studiorum academicorum praeterlapso Marpurgum Cattorum petii ibique in academicorum numerum relatus per anni spatium in philosophicas et medicas disciplinas incubui. In patriam redux a cl. Bleek rectore Magnifico civibus almae Rhenanae et cl. Nasse t. t. decano medicae artis studiosis adscriptus per annorum duorum et dimidii spatium in studio medicae artis versatus sum.

Professores, quorum scholis et exercitationibus practicis interfui, erant Bonnae: van Calker, Plücker, Goldfuss, Treviranus, Nöggerath, G. Bischof, Mendelssohn, Heinrich, Mayer, Weber, E. Bischoff, Harless, Nasse, Wutzer, Kilian; Marpurgi: Fick, Kürschner, Ludewig, Heusinger, Bunsen.

Quibus viris pro maximis in me beneficiis semper pium gratumque animum servabo.

THESES DEFENDENDAE.

I. *Pertussis iam stadio catarrhali cognoscenda.*

II. *Morbus cum pertussi coniunctus pertinacior simplici.*

III. *Therapia generalis maioris momenti quam specialis.*

IV. *In studium morborum animi non minus, quam corporis medicae artis studiosis incumbendum.*

V. *Sectio tendinum optimum antispasmodicum in spastica musculorum contractione.*

VI. *Manus medici obstetricii, quoad fieri potest, instrumentis praeferenda.*

VII. *Partus sisti non potest.*

VIII. *In amputanda femoris ulteriore et media parte methodus sectionis circularis reiicienda.*

IX. *Cor non sola causa circulationis sanguinis.*